



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum VI. Super eo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

6. 4. n. 1. quam ob rem ait *Domin. hic col. 1.* tamen si Papa nihil aliud expresserit, nisi ut Clerico N. seculari beneficium, vel Rectoria, aut Prioratus conferatur, de tali intelligendum esse, quod per seculares Clericos gubernari solitum fuit, prout aperte etiam significatur in hoc c. §. quando. interim vero non prohibetur Pontifex, ob plenitudinem potestatis suae, beneficium regulare conferre Clerico seculari, & vice versa, sicuti notat *Anchoran. hic not. 3.* & significatur in fine hujus cap.

2. Notandum secundò. Status beneficij aut Prælatuæ mutari potest per continuam, & pacificam 40. annorum possessionem, ita ut ex regulari beneficio fiat seculare, si videlicet Capellania, vel Prioratus, ex prima institutione fuerit Regularis, id est, pro Regularibus Clericis fundatus, postea vero collatus sit Clerico seculari uni, aut pluribus, ita ut continuis 40. annis sine contradictione, & cum bona fide à Clerico seculari fuerit gubernatus, tunc efficitur beneficium seculare, nihil obstante, quòd postea iterum instituatur Clericus Regularis, dummodo non tanto tempore, videlicet continuis annis 40. is præsit, ut nova præscriptio introducatur, & prior aboleatur.

Eadem ratione dicendum, quòd beneficium seculare, si annis 40. administratur à regulari, censeatur esse regulare, saltem ad repellendum impetrantem secularem, prout colligitur ex eodem §. quando. At vero quoad jura Episcopalia docet *Lapus hic n. 6.* post *Joannem Andream in c. de Monachis n. 11. hoc tit.* tamen si Capella seu Ecclesia parochialis annis 40. administratur, tanquam sit Regularis, non sufficere ad præscribendum, sed requiri tempus immemorabile, aut annos 40. cum titulo. *argu. c. 1. de præscriptionib. in 6.* propterea quòd Jura Canonica resistunt, ut Capella seu parochialis Ecclesia à cura Episcopi, & Jure diocesano abstrahantur. Non loquimur autem hic de paro. hijs, quæ monasterijs unitæ sunt salvo jure Episcopali; neque de parochialibus Ecclesijs, in quibus Regulares

Canonici instituti sunt, ita ut maneat Parochia seculares. c. quod Dei timorem 5. de statu Monachorum. & notavit *Anchoran. in fine cap.* Porro quòd in dubio beneficium seculare potius, quàm regulare censendum sit, tradit ex communi *Lapus hic n. 6. Francus. n. 5. & docui lib. 4. tract. 2. c. 4. n. 3. in fine.*

Notandum tertio. Unus actus relinquens aliquo modo effectum continuatù per tempus legitimù sufficit ad perficiendam præscriptionem. Ita sumitur ex hoc c. si videlicet beneficij regulare seculari Clerico collatum sit, isque vigore ejus institutionis annis 40. sine contradictione administrarit, vià præscriptionis efficitur juris secularis; quare idem eadem ratione dicendum, si quispiam bona fide Clericum ad parochiam præsentarit, isque admittitur, & institutus sit, atque post 40. annos, quibus gubernavit, mortuus, præsentatorem Jus patronatus per præscriptionem acquisivisse adversus Ecclesiam, imò post decem aut viginti annos, quod attinet ad excludendum alterum privatam Patronum, juxta ea, quæ docui lib. 3. tract. 1. o. ult. n. 6.

Notandum quarto. Concessio à Principe facta, licet verbis generalibus concepta videatur, tamen restringitur secundum conditionem personæ impetrantis, & subjectam materiam. Ita *Gl. hic V. prioratum. Ibidem Joannes Monachus, & alij.* Sic licet Prioratus nomen commune sit, ad regularem & secularem, tamen, si scribatur pro Clerico seculari, extendi non debet ad prioratum regularem.

## CAPITULUM VI. Super eo.

### PARAPHRASIS.

Quibusdam in Cathedrali, aut Collegiata Ecclesia personatum habentibus, quandoque etiam cum cura Animarum insuper collata est præbenda, cui parochialis Ecclesia ex antiqua consuetudine unita erat. Dubitarunt isti, num simul absque di-

dispensatione personatum, una cum præbenda canonicali, cui parochialis Ecclesia unita est, retinere queant, an verò ipso jure vacet personatus, per adeptionem talis præbendæ, juxta Concilium Lateran. sub Innocent. III. in c. de multa 28. hoc tit. Ad hoc respondet Bonifacius VIII. nulla hic dispensatione opus esse, cum Concilium Lateran. ipsis contrarium non sit.

SUMMARIUM.

1. Non improbatür consuetudo quarundam Ecclesiarum, in quibus personarum habens, præbendam etiam habet canonicalem.
2. Ecclesia Parochialis unita alteri beneficio accessoriè, sortitur naturam, & conditiones beneficii, cui unitur.
3. Quamvis obtinere quis possit duo unita beneficia, si unum alteri accessoriè unitum est, non tamen potest duos canonicatus obtinere in eadem Ecclesia.

Notandum primò. Non improbatür consuetudo quarundam Ecclesiarum, in quibus personatum gerentes, v. g. Præpositi, simul etiam præbendam canonicalem habent. Ita Dominicus hic col. 2. post Gloss. in c. 1. V. nisi unicum de consuetudine in 6. argum. c. eam te. 7. de rescriptis, ubi idem erat Archidiaconus, & Canonicus; sed & idem per Episcopi dispensationem, ex causa justa v. g. ob redituum tenuitatem, introduci posse ait Gl. in cit. c. 1. & Gl. in Clement. ult. V. vacavit in fine hoc tit.

Notandum secundò. Si Ecclesia parochialis unita sit alteri beneficio, sortitur naturam, & conditiones ipsius; quam ob rem Præbendarius seu Canonicus non tenetur per se ipsum residere in beneficio parochiali. Exirpanda 30. §. qui verò. & c. Exposuisti 33. de præbend. Et potest quis talem parochialem Ecclesiam, ut unitam seu accessorialem alteri curato beneficio, v. g. Personatui, seu Archidiaconatui curam Animarum habenti, simul obtinere, non obstante cit. c. de Multa. Propterea, quòd

propter unionem, seu accessionem non censeantur duo curata, sed unicum, prout bina Joan. Monachus observavit. Præterea in allocatione beneficii, cui parochialis Ecclesia annexa est, non requiritur ætas 24. annorum completa, sed sufficit ætas requisita ad beneficium, cui parochia unita est; adeò quidem, ut puer 14. annorum obtinendo Canonicatum, accessoriè habere possit Ecclesiam parochialem, sicuti docui lib. 4. tract. 2. c. 9. n. 2. coroll. 2. & tradunt Lappus, Petrus Anchoranus, & alij super hoc c. quia cura, inquit Anchoranus, quæ venit accessoriè, non est attendenda, sed natura & qualitas tantùm beneficii principalis, cui curatū subijcitur. Denique necesse non est, ut in impetratione beneficii principalis, v. g. Personatus aut Canonicatus, mentio aliqua fiat de annexo beneficio curato, cum non per se vacet, sed accessoriè veniat, prout Lappus, Anchoranus & alij hinc notârunt; & Joannes Monachus inquit, quòd præbenda, cui parochialis Ecclesia annexa est, non ut duo, sed ut unum beneficium reputari debet.

Advertendum verò est, quòd egregiè docuit Gloss. recepta in Clement. ult. hoc tit. licet aliquis duo curata beneficia obtinere possit, unum per se, & alterum accessoriè, prout habetur in hoc c. non posse tamen duos Canonicatus in eadem Ecclesia, sive sub eodem tecto, obtinere, unum per se & alterum accessoriè, sicuti responsum est in cit. Clement. quòd Canonicus obtinens in sua Ecclesia Personatum, cui Canonicatus annexus est, amittere debet priorem Canonicatum, nam Jura, inquit Gloss. finalis in eadem Clement. plus abhorrent ab eo, quòd unus habeat duas præbendas in eadem Ecclesia, quàm quòd unus habeat duo curata, nam id posterius permittitur jure accessionis, prius autem non permittitur. Vide, quæ dixi lib. 4. tract. 2. c. 8. n. 5. & 6.

\*\*\*

R 2

CA-